



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 32. Epistola Papæ de excommunicatione Regum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI. Ita Germanorum Italorumque in causa
A.C. 1076.

Pontificis & Regis divisi sunt animi.
Nam Regis fautores quoque dicebant,
Regem excommunicari non posse. (*)
Istud materiam prolixæ Pontificis Episto-
læ præbuit, ad Hermannum Episcopum
Metensem, qui prius Regis partes secu-
tus deinde ad obedientiam Papæ redie-
rat, datæ, in qua loquitur in hunc mo-
dum.

lib. IV. ep. 2.

§. XXXII.

*Epistola Papæ de Excommunicatione
Regum.*

Eos autem, qui dicunt: Regem non oportet excommunicari, quamvis istorum hominum fatuitas responso digna non sit, ad Sanctorum tamen Patrum dicta & facta remittimus. Legant, quid Beatus Petrus in Ordinatione S. Clementis populo Christiano præceperit, de illo homine, quem scirent Episcopo adversari. Discant, quod

judicari posse, Aliqui hanc Concilii, seu Ecclesiæ, in Papam potestatem ad casum Schismatis diuturni aut Hæresis restringunt.

(*) Quod Reges excommunicari possint, nullum est dubium. Alia est Quæstio, an etiam Jurisdiclio eos deponendi cuiquam competere possit. Certe nullius alterius conditionis homines per excommunicationem vel sua Dignitate vel Bonis temporalibus privantur.

quod *Apostolus* dicat: *Habentes in prom-* *Sæculum XI.*
ptu ulcisci omnem inobedientiam. Discant *A.C. 1076.*
etiam, de quibus dicat: Cum bujuscmodi *2. Cor. 10.*
nec cibum sumere. Perpendant, cur Za-
cbarias Papa Regem Francorum deposue-
rit, & omnes Francigenas a vinculo ju-
ramenti, quo ipsi obstricti erant, absol-
verit. Discant ex Commentario S. Gre-
gorii, quod in Privilegiis, quibusdam Ec- *lib. 10. ep. 10.*
clesiis concessis, Reges & Duces ea violan-
tes non solum excommunicet, sed etiam
Dignitate privandos judicet. Nec obli-
viscantur, quod S. Ambrosius non solum
excommunicaverit Theodosium Imperato-
rem, sed etiam interdixit, ne in Eccle-
sia in loco Sacerdotum permaneret, quam-
vis Theodosius & moribus & potestate exi-
mius Imperator esset. Vel forte hoc vo-
lunt dicere, sapientes scilicet viri, quod *Joan. 21.*
Deus, cum ad S. Petrum dixit: Pasce
oves meas! Reges exceperit? an non vi-
dent, quod Deus, dans Petro potestatem li-
gandi & solvendi, neminem ipsius Juri-
sdictioni subtraxerit! Si vero Sacra Se-
des potestatem accepit judicandi Spiritua- *1. Cor. 6. 3.*
lia, cur non etiam temporalia? cujus
membra sint Reges & Principes bujus Sæ-
culi, qui bonorem proprium & lucra tem-
poralia Dei bonori & Justitiæ præferunt,
non ignoratis; nam sicut illi, qui propria
voluntati Deum præponunt, ejusque præ-
cepto plusquam hominibus obediunt, mem-

Sæculum XI. *bra sunt Jesu Christi, ita & alii, de quibus ante diximus, membra sunt Antichristi. Si ergo Spirituales viri, quoties oportet, judicantur, cur non magis Sæculares ob actus suos pravos coerceantur?*

Forte putant, Dignitatem Regiam supra Episcopalem esse. Sed ex utriusque origine intelligant, quantum una ab altera differat. Illam humana invenit superbia, hanc Divina pietas instituit. Illa vanam gloriam continuo captat, hæc ad Cælestem vitam semper aspirat. Unde S. Ambrosius in suo Pastoralis dicit: Tantum Episcopalis sublimitas Regiam Dignitatem quantum auri fulgor plumbi metallum superat. Et Constantinus Imperator ultimum inter Episcopos elegit locum.

His subjungit Papa, se aliquibus Episcopis concessisse Potestatem absolvendi illos Proceres, qui magno animo a communionem Regis abstinuissent, Regis vero absolutionem cum cognitione causæ sibi ipsi reservat. Hæc epistola vigesima quinta Augusti anno millesimo septuagesimo sexto data est, in qua dispicimus, quibus fundamentis doctrina in illam usque diem inaudita, quod Papæ Supremos Principes deponendi potestas competat, superstructa sit. Viris doctis judicandum relinquo, an stringant hæc argumenta; ego vero sequentia solum in

gra-

gratiam illorum, qui in ejusmodi quæ-
 stionibus parum versati sunt, adnoto. Sæculum XI. A.C. 1076.
 Primum ab auctoritate argumentum ac-
 cepit Gregorius VII. ex Epistola Apo-
 crypha S. Clementis ad S. Jacobum, quæ, Reges depo- ni non pos- sunt.
 sicut etiam duo textus ex S. Paulo allati, Edit. Cotel. p. 540. n. 18.
 de nulla alia re quam de excommunica-
 tione loquitur. Porro quæstio non in
 eo versabatur, an Reges possint excom-
 municari, sed an excommunicationis
 censura eos Regia potestate privet. Quod
 spectat ad exempla; Zacharias Papa Sup. lib. XLIII. §. 1.
 Childericum Regem non deposuit, sed
 solummodo Franci, qui ipsum depone-
 re cupiebant, Pontificem consuluerunt;
 præterea Rex Childericus non erat ex-
 communicatus, nec ullius criminis reus,
 sed ob inertiam a suis despectus. Por-
 ro Privilegium, a S. Gregorio datum,
 illud est, quod Hospitio Augustodunensi Sup. lib. XXXVI. §. 43.
 concessit, suntque, qui credunt, illam
 clausulam posteriore tempore fuisse ad-
 jectam; alii eam imprecationis & com-
 minationis loco fuisse subjunctam affir-
 mant. Si exemplum Imperatoris Theo-
 dosii inspiciamus; S. Ambrosio nunquam Sup. l. XIX. §. 21.
 in mentem venit, quidquam de potesta-
 te Sæculari ei detrahere. Reliqua, si
 vera essent, quæ Gregorius VII. affert,
 nimium probarent; si enim illis, quibus
 competit de Spiritualibus cognoscere,
 multo magis Jus esset Temporalia judi-
 care,

Sæculum XI. care, aliis Judicibus, aliisque Principibus, *re ob ti su æ b su p c c g a r b t t i c r*
A.C. 1076. quam Episcopis, opus non esset, & si Principatus Sæculares nullam aliam haberent originem, quam humanam superbiam, ab omnibus populis Religionem Christianam profitentibus jure merito abolendi essent. Contra ex S. Scriptura *si p c c g a r b t t i c r*
Rom. 13. 1. discimus, omnem Potestatem, etiam Principum infidelium, a Deo esse.

§. XXXIII.

Epistola ad Germanos.

vit. Greg.
7. 8. n. 65.

Sub idem tempus Pontifex ad omnes Episcopos, Proceres, & Fideles Regni Teutonici longam epistolam dedit, in qua præsumens, quæstionem Juris esse definitam, latam dictæ Excommunicationis sententiam defendere aggreditur, exponendo facta & modum, quo Regem semper habuisset. *Cum adhuc, inquit, in Ordine Diaconorum starem, perlata ad nos de Regis moribus fama pudenda, exoptantes ejus emendationem, sæpe eum per epistolas, & Nuncios ipsius, admonuimus, ut memor clarissimi generis & Dignitatis suæ vitam institueret. Postquam vero ad Pontificatum pervenimus, intelleximus, Deum eo districtius animam ipsius de manu nostra requisiturum esse, quo major ad eum increpandum libertas & auctoritas nobis data fuisset. Cumque videremus cum ætate etiam nequitiam cresce-*